

New Zealand: Dunedin Public Libraries Heritage Collection, RMM Fragment 32a  
Fragment, Psalter with Passion Readings written by Pietro Ursuleo of Capua.  
<https://fragmentarium.ms/overview/F-ot3d>

### Contents

The Gospel according to Matthew 26: 47-61. Concerning the treason of Judas, these lines refer to the arrival of Judas and the armed mob.

The transcription follows the layout of the single column of 19 lines, and maintains the original punctuation and hyphenation of the text. Expanded scribal abbreviations are underlined.

Transcribed by R. Faunce, August 2018.


1 ... [gladi]is et fustibus missi a principibus sacerdotum:  
2 et senioribus populi . Qui autem tradidit  
3 eum: dedit illis signum, dicens. Quemcunque  
4 osculatus fuero .is est. tenete eum . Et confe-  
5 stim accedens ad iesum dixit . Aue rabbi.  
6 Et osculatus est eum. Dixitque illi iesus. †.  
7 Amice: ad quid uenisti . Tunc accesserunt  
8 et manus iniecerunt in iesum: et tenuerunt  
9 eum . Et ecce unus ex iis qui erant cum iesu.  
10 extendens manum: exemit gladium suum:  
11 et percutiens seruum principis sacerdotum  
12 amputauit auriculam eius. Tunc ait illi  
13 iesus. Conuerte gladium tuum in locum  
14 suum . Omnes enim qui acceperint gladium  
15 gladio peribunt. An putas quia non pos-  
16 sum rogare patrem meum: et exhibebit  
17 mihi modo: plusquam duodecim legiones an-  
18 gelorum . Quomodo ergo implebuntur  
19 scripture: quia sic oportet fieri . In illa hora

[verso]

1 dixit iesus turbis . Tamquam ad latronem  
2 existis cum gladiis et fustibus comprehen-  
3 dere me. Quotidie apud uos sedebam do-  
4 cens in templo et non me tenuistis . Hoc au-  
5 tem totum factum est: ut adimplerentur

6 scripture prophetarum . Tunc discipuli  
7 omnes relicto eo fugerunt. At illi tenen-  
8 tes iesum, duxerunt ad caypham prin-  
9 cipem sacerdotum: ubi scribe(s)<sup>1</sup> et seniors.  
10 conuenerant. Petrus autem sequebatur  
11 eum a longe, usque in atrium principis sa-  
12 cerdotum. Et ingressus intro sedebat cum  
13 ministris ut uideret finem . Principes  
14 autem sacerdotum et omne concilium  
15 querebant falsum testimonium contra  
16 iesum: ut eum morti traderent . Et non  
17 inuenerunt cum multi falsi testes accessissent.  
18 Nouissime autem uenerunt duo falsi te-  
19 stes: et dixerunt: hic dixit. Possum destru-  
[ere templum dei et post triduum redificare illud].

This work is licensed under a Creative Commons “Attribution-  
NonCommercial 4.0 International” license.



---

<sup>1</sup>Correction - underlined 's' added in lighter ink.